Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 849
Quelle:
Copyright:

huius ſeculi &c. Hos igitur nomine *Maculiſtarum*, *Maculigerorum*, *Maronitarum* (potius Guarronitarum?) acriter exagitat Noſter. Video ferri Opuſculum titulo: *Contra diſceptationes et praedicationes contrarias FF. Mendicantium*, editumque *Mediol.* 1480. *Baſil.* 1500. et curante *Seb. Titione* ſive *Brand Argent.* 1516. *Manſius* in *Bibl. Fabricii* annum 1500. et *Jac. Wimphelingium* vult editorem. Sed horum nihil mihi ad manum eſt.

XI. *fol.* 230. p. 2. *Informatio*, ut iterum e calce petendum, *Domini alberti ducis auſtrie de complendo et ſtabiliendo ſtudio Wien.* Advocatus ab eo *Henricus* noſter *Pariſiis Viennam* adpulit a. 1379. Univerſitatem vero confirmavit *Urbanus* VI. a. 1384. Cum igitur in Scripto praeſenti dicatur, Papam non confirmaturum Collegium niſi legitime dotatum, tempus ſcriptionis ſic ſatis liquet. Ad ſcribendum porro ſatis autoritatis etiam habuit Noſter; teſte enim *Haſelbachio* in ſuo *Auſtriae Chronico Albertus Collegium Ducale de tribus domibus cum lectoriis et habitationibus per manum praefati M. Henrici evexit.* Vidit autem ſtudium Principis in opere conſummando aliquantum refrigeſcere, unde ſtimulos illi graviter et cordate ex rationibus etiam aeternis ingreſſus admovet. *Illuſtriſſime princeps et domine magnifice non pigeat generoſam nobilitatem ſemper ad virtutum preconia auidam ad tempus curis exterioribus interruptis audire parum moniti ſaluta-ris et pauliſper apertis interioribus oculis ſaltem ad modicum tempus attentius penſitare cum ſalomone ſapientiſſimo, quomodo omnia mundi ſint vanitas.* &c. Hinc infert, nihil reſtare Principibus, niſi curam juſtitiae, tranquillitatis et ordinis, et opum ſuarum prudentem diſpenſationem, et mox: *Quid eſt ergo, princeps illuſtriſſime, aut quid retardat perfici tam ſalubriter concepta et magnifice inchoata, duo inter cetera, Collegium videlicet omnium Sanctorum* (e Sacello Aulico cum Praepoſitura et Canonicis a. 1365. ad D. Stephani Aedem traductum) *et Collegium vniuerſitatis ſtudentium? Cur utrumque tam magnum ad gloriam Dei opus non perficitur?* Itaque facienda ſuggerit. *Primum eſt ducalis Collegij complecio in aliquibus paracionibus et edificijs que adhuc reſtant, ut ſunt locus bybliotece, inſtitutio debita Capelle et tectorum reformacio ac renouacio, quibus omnino opus eſt collegio, quod pro maiori parte adhuc ruinoſum eſt, et turpiter pluviis deſtruitur. — Secundum punctum eſt redituum pro eodem Collegio aſſignatorum uel aliorum ſufficientium ſtabilicio. — Tertium punctum eſt Wiennenſis policie, de cuius regimine multi mirantur, racionabilis et legitima regulacio. — Quartum eſt efficax ducalium priuilegiorum Magiſtris et ſcolaribus et ceteris ad ſtudium pertinentibus conceſſorum conſeruacio. — Quintum eſt, ſigilletur ſigillis archiepiſcopi* (Salisb.) *et epiſcopi ordinarij* (Paſſav.) *litera priuilegiorum ducalium ſe-*